

Ac cum adsiue & singulis pene momentis aures nostræ personent seuerissimis Dei præceptis, amplissimis promissionibus, grauissimis comminationibus, exemplis poenarum, paternis adhortationibus, uberrimis doctrinis de pietate & honestis moribus, monstri plane simile esset, si omnia ista surdis auribus acciperetis, & contumaciareliquos homines illiteratos aut imitaremmini, aut superaretis. Sed de uobis auditoribus nostris, & in primis ingenuis & pijs adolescentibus meliora mihi polliceor. Ac ut initio dixi, magistratum hunc scholasticum, nec despoticum nec politicum esse, sed patrium: & paternum adfectum & lenitatem promisi: ita æquum est, ut Scholastici studeant par referre: & sua sponte potius recte faciant, quam alieno metu. Hoc qui facturi sunt, illis non tantum paternum amorem, benevolentiam & defensionem contra inquietos promittimus, sed etiam officia nostra studiose deferimus. Qui uero spretis his omnibus & exuta omni humanitate & Legum reuerentia, impietate & scelere hanc nostram Scholam turbaturi sunt, illi iustæ seueritatis neruos, & discipline curam nobis non deesse, cum damno suo experientur. Superest, ut pijs uotis ad Deum redeamus.

Tu igitur unigenite Fili Dei Iesu Christe conditor  
& redemptor generis humani, Custos salutaris doctrinae  
me &